



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1655**

§. 68. Tunc accesserunt & manus iniecerunt in Iesum & tenuerunt eum. v.  
50.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

ac si diceret; Hoccine meritis sum de te ô Iuda, num peccavi in te lavans pedes tuos, cur vans tibi genua mea, reficiens te corpore & sanguine meo? ad quid venisti? ad eone triginta argenteis me viliozem habes? cur declinavit ad avaritiam cor tuum & me summum ac perenne bonum reliquisti, vilissimo me pretio vendens, qui omnes in me habeo sapientiæ & scientiæ thesauros absconditos, cœlumque terramque locupletis & impleo. *Amice ad quid venisti?* quasi diceret; ad te ipsum quæso intro convertere, in te ipsum paulisper descende, redi ad cor tuum Columba non habens cor: vide quo de veneris, adverte quid feceris, etiamnum patet gratia mea, tantum cum dolore ad me revertere & ego suscipiam te. Quis iam ultra lacrymas cohibere queat tam ineffabilem Christi erga proditorem suum attendens benignitatem? quis iam desperare aufit de misericordia Dei,

**O** Iesu dulcissime, si traditori, si inimico, si nequam & infideli servo tuo tam fidelis & ex animo ad eum fuisti benignus, adeoque eum revocare & servare laborasti? quid ergo facies amicis tuis qui ex toto corde te quærent, diligunt & sitiunt. revera non est possibile cogitare suavitate tuam, & vere dixit, qui ait *in cor hominis non ascendisse quia Deus paravi diligentibus te, & verè non est voluntatis tua mors & perditio impiorum, sed ut convertantur potius & vivant, omnes, omnes inquam in corde complexus es, nec aliquem à te repellis, nisi qui per malam voluntatem & obstinationem in peccatis sponte à te recedit, Domine nunquam veniam ad te ut te prodam sed in æternum tecum maneam, servus enim tuus sum & esse volo in æternum, & protestor, si fors quovis modo me contigerit seduci & separari à te per peccatum, quod hic recessus meus nullus sit ipso facto: & velim relicto peccato redire ad te pœnitens nec cupiam tantillo tempore hære in peccato, quod dici posset: *Ad quid venisti?* Tu me igitur obsecro vel serva tecum vel abeuntem à te eodem momento per gratiam tuam revoca me ad pœnitentiam, salvator meus,*

§. 68. *Tunc accesserunt & manus iniecerunt in Iesum & tenuerunt eum*

v. 50.

Osculi signo dato vidisses recurrentes Iudæos gladiis strictis, funibus & hastis quasi tauros pingues circumdantes Iesum, & manus in eum iniicientes, quibus alij manus eius tenebant, alij caput stringebant, alij funes collo ministrabant alij verbera dabant, ictus, colaphos, alij tradebant, alij cachinnantes ridebant de præda, alij trahebant, alij trudebant, alij pedibus calcabant.

**O** Mi Iesu, quanta hæc catastrophe, ex te omnis est libertas, & ipsa tua libertas iam stringitur, coarctatur, ligatur, & prosternitur. quæ causa  
tantæ

tantæ cathastrophes? una invidia Pharifæorum, peccata Iudæorum, inexhausta auaritia discipuli Domine quæ tanta charitas in me? tu perdis tuam libertatem, ut me vinctum solvas à peccatis, & liberares à diabolica potestate? quid igitur tibi rependam? præter gratias debitas me tibi ita alligo, addico, constringo de uoueo in perpetuum seruum & mancipium irrevocabiliter, ut nunquam liceat separari à te, & si fors per peccatum separatio eheu! aliqua fiat, iam & ex nunc doleo pro tunc, & ex hoc momento revoco quidquid fecero contra te aut mandata tua, & revocatum volo ex nunc in perpetuum cum lacrimis & pœnitentia vehementi atque humili corde gratiam tuam imploro.

§. 69. *Et tenuerunt eum. v. 50.*

Ligatum scilicet, colaphizatum, sanguineo sudore madidum, trahentes eum ex hortu pervia, per amnem Cedron ad locerum Caiphæ Annæ primum, ab Anna ad Caipham Pontificem, à Caipha ad Pilatum Præsidentem, à Pilato ad Herodem Regem, iterum ab Herode illudum ad Pilatum in prætorium, de prætorio ad montem Calvariæ ibique Crucifigendum. Vnde non tam ad horum aliquem ducebatur, quam ad mortem.

**O** Deus vita, spes & unica salus nostra, ipsa beatitudo & gloria nostra, non tenent te Iudæi, & non es eis vita, quia te perdere festinant, nec volunt ut tu cum ipsis & ipsi tecum maneant & vivant. cur hoc inimici sunt. Ego vero amicus tuus esse cupio, imo servus, ideo supplex oro, ut tu mecum maneat & quidem in omnem æternitatem inseparabiliter, ut tu me & ego te teneam ligatum amoris funibus indissolubilibus, & vinculis charitatis æternis, ut tui memor, beneficiorumque in me collatorum semper tibi gratias agam in terris, & fruatur tui facie ad faciem in cœlis.

§. 70. *Et ecce unus ex his qui cum Iesu erant, extendens manum exemit gladium. v. 51.*

Hoc Evangelista tacito nomine Petri Apostoli ait: quod extendens manum, exemit gladium? At Lucas nominat eum, uterque haud dubie certa causa, nec sine mysterio aliquo, dicam quid mihi videatur. Qui nomen taceat intuitus est personam Petri sacram, erat enim presbyter paulo ante creatus in Cæna Domini per Pontificem nostrum Iesum Christum, Dominum nostrum, & inter Apostolos supremus Pontifex futurus Christi Vicarius & claves regni cœlorum accepturus ut quidquid solveret in terris, vel ligaret id esset, quoque solutum in cœlis, vel ligatum, ideo non dicebat ipsum per se uti gladiis temporalibus sed spiritualibus in patientia & longanimitate, exemplo Christi summi Sacerdotis & Magistri sui. Alter Evangelista qui nomen exprimit intuitus fuerit personam privatam Petri, cui pro-